



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

- I. Dioscori sævitia afflixit etiam Theodoretum Episcopum Cyrensem: qui non fuit depositus in secunda synodo Ephesina, ut visum Baronio & Perronio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Episcopum Cyrensem : qui non fuit depositus in secunda synodo Ephesina, ut visum Baronio & Perronio.

II. Damnatus fuit in Concilio Ephesino primo, quod Nestorio favere videretur. Dejectus autem fuit invocatus & inauditus in secundo, in consequentiam sententiae à primo latae.

III. Oppressus Theodoretus Leonem Papam appellavit; à quo receptus est in communionem, atque ea ratione episcopatum suum recepit. Admissus dein ad synodum Chalcedontensem, gravis controversia occasio fuit; quam ut sedarent Iudices, dixerunt eum venisse tantum ut accusatorem. Absoluta ergo non fuit restitutio Theodoretii.

IV. Restitutio haec integra fuit postquam iudicio synodi & Imperatoris comprobata fuit, post anathema Nestorio dictum à Theodoro.

V. Leo ipse agnoscit definitivum decretum de restitutione Theodoretii debere fieri in synodo.

VI. Agitur de collectione canonum à Theodoro concinnata, in qua additi sunt canonès Sardicenses. Aberravit illi à collectione quam Concilium Chalcedonense probavit.

I. **D**IOSCORI saevitia afflixit etiam Theodoretum Episcopum Cyri in patriarchatu Antiocheno; adeo ut coactus fuerit sedis apostolicae auctoritatem implorare, ut Ecclesiae suae restitueretur. Existimant Cardinales Baronius & Perronius Theodoretum à Dioscoro depositum esse in Concilio secundo Ephesino. Sed acta hujus Concilij probant institutam in eo accusationem non fuisse adversus Theodoretum, sententiam verò latam esse solum adversus Flavianum & Eusebium Episcopum Doriæ, Eutychetis accusatorem. Sanè Leo solius depositionis Flaviani meminit in suis epistolis. Itaque, ut ego quidem existimo, res suprâ repetenda est.

II. Theodoretus unâ cum Ioanne Episcopo Antiocheno damnatus fuerat in Concilio primo Ephesino, eò quod scripsisset adversus anathematismos Cyrilli & synodi Alexandrinae, atque ideo videretur favere Nestorio. Ac licet concordia rediisset Ecclesiis Alexandriae & Antiochia, restaurataque esset earum communio, Aegyptij tamen ferre non poterant Theodoretum. Vnde factum ut Imperator Theodosius, cum convocaret secundam synodum Ephesinam, scriperit ad Dioscorum nolle se ut Theodoretus ad eam accedat, nisi ita prius decreverit universa synodus. Quoniam verò deinceps intellexerat futurum fortassis ut quamplures Episcopi optarent heic adesse Theodoretum, à quo alienatum se esse ait Princeps quòd in causa fidei scripsisset nonnulla Cyrillo contraria, altera epistola Dioscoro Alexandrino, Juvenali Hierosolymitano, & Thalassio Casareensi maximam tribuit auctoritatem in causa Theodoretii & aliis quae spectant ad cogni-

tionem synodi. Dioscorus, qui tam illustri potestate ornatus erat, Theodoretum non iudicavit in Concilio. Vocandus enim erat ipse, & causa ejus examinanda; cum tamen contraria prorsus cura Dioscoro sederit, nimirumne Theodoretus accerferetur. Itaque Dioscorus eum habens pro damnato in prima synodo Ephesina, tanquam haereseos Nestorij fautorem, declaravit coram synodo curaturum se ut Ephesini canonès adversus illum custodiantur, eumque velut Nestorianum ab Ecclesia sua expulit. Huc enim alludunt Aegyptij in Concilio Chalcedonensi. *Cyryllam* inquirunt, *eicimus, si Theodoretum acceperimus. Canonès istum ejecerunt.* Vnde constat verba haec eorundem Aegyptiorum, *coram universa synodo damnatus est,* significare eum fuisse damnatum omnis iudiciorum solennibus, in consequentiam sententiae Concilij primi Ephesini.

III. Oppressus Theodoretus, Leonem Papam appellavit. Appellatio autem ejus extat difertis verbis in epistola quam scripsit ad Leonem, itemque in epistola ad Renatum Diaconum: in quibus explicat fidem suam, ostenditque se non esse Nestorianum. Eum itaque Leo recepit in suam communionem, ut ait Paschasius Legatus in actione prima Concilij Chalcedonensis, atque ea ratione episcopatum illi suum restituit. Eum porrò in actione prima Concilij interesse iusserunt Iudices imperiales, ob eam videlicet causam, ut ipsi inquirunt, quòd sanctissimus Archiepiscopus Leo ei episcopatum suum reddidisset, & quòd divinissimus & piissimus Imperator praecipisset eum adesse in Concilio. Attamen quoniam Aegyptij, Palaestini, & Illyriciani gravissimos tumultus excitabant adversus susceptionem Theodoretii, contrâ Orientalium, Thracicorum, Ponticorum, & Asianorum studiis idem attollebatur, Iudices in his angustiis constituti eò confugere coacti sunt ut dicerent Theodoretum, tamen si locum suum recepisset auctoritate Leonis, venisse tamen ut accusatorem tantum, injurias suas ulturum, & expurgaturum si quid adversus eum proponeretur. nam uniuscujusque partis jus integrum esse. Vnde colligere licet absolutam non fuisse restitutionem Theodoretii, sed interim tantum valituram donec quaestio principalis, ex qua profecta erat ejus depositio, retractata fuisset. quod factum est in Concilio Chalcedonensi.

IV. Hic modus agendi repugnat aliquatenus canonibus Sardicensibus; quibus appellatio quidem ab Episcopum Romanum conceditur, non tamen restitutio ante

Ad. i. Cod.
Causa 1010
& 1011
ad. i. Cod.
ad. i. Cod.
Ad.

quodammodo
fuerit
ad. i. Cod.
ad. i. Cod.
ad. i. Cod.